+ исп. ошиб. 16.12.1963

De origine termini Kantiani „transcendens".

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO ORDINI PHILOSOPHORUM

MARBURGENSIUM

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

OBTULIT

Ferdinandus Schmidt

BRUBACENSIS.

Marburgi — Cattorum

1873.

FRIDERICO ALBERTO LANGE

GRATI ANIMI

DOCUMENTUM.

Τὸ τί ἐστιν εἰδέναι ταὐτό ἐστι καὶ διὰ τί ἐστιν.

Terminorum technicorum, qui vocantur, notitiam inprimis in variis philosophiae disciplinis maximi momenti esse neque eos penitus cognosci nisi origine investigata quisque concedet. Nihilominus autem multi ejus generis termini exstant, quos nondum accurate explicatos esse confitendum est. Quorum numero etiam Kantianus terminus „transcendens" continetur. Quo termino quid illustris philosophus significet, quamquam est *πολυθρύλλητον*, tamen ejus origo adhuc obscura est. Pro illa autem, qua Kantiana philosophia floret auctoritate, operae pretium esse videbatur quaerere, quomodo factum sit ut ille terminus significaret „über die Erfahrung hinausgehend"[1]). Quam quaestionem ita optime institui putabam, ut ex eo loco, quo primum vocabulum transcendeus partes habet termini technici, regressus originem demonstrare conarer, deinde ad illum locum reversus vestigia termini usque ad Kantium persequerer.

Vocabulum „transcendens", ita quidem usurpatum, ut certi termini locum habeat, primo occurrit in opusculo, quod „de natura generis" inscribitur et falso inter opera Thomae Aquinatis receptum est [2]). Sub finem cap. I illius opusculi exstant haec verba: „Manifestum est, quod ens non potest habere differentias sicut genus ha-

[1]) cf. Mellin: Encyclopädisches Wörterbuch der kritischen Philosophie, s. v. Transcendent.

[2]) Sancti Thomae Aquinatis etc. opuscula omnia etc. Parisiis 1624 fol. p. 523. Prantl: Geschichte der Logik im Abendlande, vol. III. p. 245.

bet et ideo ens genus non est, sed est de omnibus communiter praedicabile analogice: similiter dicendum est de aliis transcendentibus", et sequitur cap. II, quod inscriptum est „de transcendentibus", ex quo nonnulla mihi hic apponenda videntur, ut statim appareat, quid illi termini significent. „Sunt autem sex transcendentia; videlicet ens, res, aliquid, uum, verum, bonum, quae re idem sunt, sed ratione distinguuntur" etc. „Unum autem significat indivisionem, quae aequiparatur enti, et ideo unum idem est, quod ens secundum rem, licet rationem quandam addat super ens, per quam unumquodque habet, quod sit ens. Omne enim, quod est, ideo est, quia unum numero est, secundum Boetium" etc. „Si autem dicat ipsum, quod habet esse, manifestando in supposito illo, unde est, sic res addit super ens, ut Avicenna dicit in Metaphysica sua. Unaquaeque enim res habet certitudinem, qua est id, quod est" etc. „Si autem illud, quod additur super ens, sequatur ens in comparatione ad animam, quae quodammodo est omnia, in anima enim est duplex potentia, intellectus scil et voluntas ,quarum altera omnia cognoscere potest, altera autem amare, sic accipiuntur verum et bonum."

Quibus verbis in universum quidem explicari puto, quomodo termini illi accipiendi sint, ceterum infra copiosius de singulis agemus. Nunc quidem primum originem investigaturi regrediamur duce Prantelio [3]) ad Thomam Aquinatem, apud quem quatuor illarum notionum scil. ens, unum, verum, bonum reperimus, nonime quidem transcendentium non addito. Quas notiones Thomam ex libro, qui „de Causis" [4]) inscribitur, sumpsisse patet. Dicit enim Thomas quaest. de verit. I, 1: „Quaecunque se habent ut prius et posterius oportet esse diversa, sed verum et ens sunt hujusmodi, quia, ut dicitur in libro de causis, prima rerum creatarum est esse et omnia alia dicuntur per informationem de ente et sic sunt ente posteriora. Ea, quae dicuntur communiter de causa et causatis, magis sunt

---

[3]) cf. Prantl: l. l. III. p. 114.

[4]) cf. Prantl: l. l. II. p. 8 et p. 394. K. Werner: Der heilige Thomas von Aquino. 3 voll. Regensburg 1858 ff. vol. I p. 77 et p. 503—506.

E. Rénan: Averroès et l' Averroisme Paris 1852. préf. p. III et p. 70.

Haneberg: Ueber die neuplatonische Schrift von den Ursachen (liber de causis) in: Sitzungsber. der kgl. bayer. Akad. der Wissensch. z. München. Jahrg. 1863 Band I.

unum in causa, quam in causatis et praecipue in deo, quam in creaturis; sed in deo ista quatuor: ens, unum, verum, bonum sic appropriantur, quod ens ad essentiam pertineat, unum ad personam patris, verum ad personam filii, bonum ad personam spiritus sancti; personae autem divinae non solum ratione sed re distinguntur, unde ad invicem non praedicantur, ergo multo fortius in creaturis debent amplius, quam ratione differre." Quae verba, ut aliquo modo illustrentur adjiciam nonnulla ex libro de causis desumpta. Cujus libri lectio III [5]) initio habet haec: „Prima rerum creatarum est esse et non est ante ipsum creatum aliud. Quod est, quia esse est supra sensum et supra animam et supra intelligentiam, et non est post causam primam latius, neque prius causatum ipso, propterea illud ergo factum est superius causatis rebus omnibus et vehementius unitum. Et non est factum ita, nisi propter suam propinquitatem esse puro et uni vero, in quo vero non est multitudo aliquorum modorum."

Quae de verbo „esse" sententia posterioribus etiam temporibus occurrit. Cujus rei exemplo sit Vives [6]), qui quamquam acerrime contra transcendentia pugnat (id, quod infra videbimus) hac in re scholasticorum doctrinam amplectitur. Dicit enim: de prima phil. l. I h. 405: „Quemadmodum vera bona omnia sunt in Deo, in rebus vero ab illo genitis imagine tantum quadam ad illam veritatem efficta, ita esse verum in Deo est, ab illo commmicatur rebus aliis omnibus. Et hoc est primum munus, quod a Deo datur rei conditae et tanquam fundamentum aliorum munerum: omnia enim, quae Deus condidit, esse ab illo acceperunt: ut esse possit quodammodo sic crasse declarari, quod Deus dat primum omnibus, quae creat Nam ut nihil est supra esse. omnia sunt sub eo, aut certe nihil est eo ulterius, ita mens nostra facilius nomen intelligit, quam exprimit rem, imo illi alia omnia, per ipsum vel additionem ipsius declarantur."

In iis, quae ex libro de causis attulimus praecipue tenendum est, quod dicitur „esse" supra sensum, supra animam et supra intelligentiam esse, quoniam his verbis aliquo modo explicari videtur,

---

[5]) Divi Thomae Aquinatis, Doctoris Angelici Tomus III et IV Venetiis 1593 fol.

[6]) Joannis Ludovici Vivis Valentini de disciplinis libri XX Lugduni 1551.

cur nomen transcendentium illis notionibus impositum sit. Conferenda sunt praeterea haec Thomae ipsius verba, quae ad libri de causis lectionem VI explicandam adnotat. „De causa prima hoc est, quod potissime scire possumus, quod omnem scientiam et locutionem nostram excedit. Ille enim perfectissime Deum cognoscit, qui hoc de ipso tenet, quod quicquid cogitari vel dici de eo potest, minus est eo, quod Deus est, unde Dionys. dicit in 10 Misticae theol. quod homo melius suae cognitionis utitur Deo, sicut omnino ignoto, eo quod nihil de eo cognoscit, cognoscens ipsum esse supra omnem mentem et ad hoc ostendendum inducitur haec propositio: „Causa prima superior est narratione, per narrationem autem oportet affirmatio intelligi, quia quicquid de eo affirmamus non convenit ei secundum quod a nobis significatur. Nomina enim a nobis imposita significant per modum, quem intelligimus, quem quidem modum in esse divinum transcendit unum.“ Quorum verborum postrema fortasse explicationem verbi transcendendi continent, sed obscuriora sunt, quam ex quibus certi quid conjici possit. Sed ut nunc quidem nonminis originem negligamus et rem persequamur ad Boetium redeundum est, quo teste scriptor illius opusculi, quod „de natura generis“ inscriptum est, nititur, cum dicit omne, quod sit, ideo esse, quia unum numero sit. Dicit enim Boetius in disputatione „de unitate et uno“ [7]) „Unitas est, qua una quaeque res dicitur esse una, sive enim est simplex sive composita, sive spiritualis, sive corporea res unitate una est, nec potest esse una nisi unitate, sicut alba nisi albetine, nec quanta nisi quantitate.“ Jam igitur aliquid profecimus ut cognoscamus, quomodo unum inter transcendentia receptum sit. Boetius autem de ceteris nos certiores reddet atque primum eum audiamus de ente exponentem. Dicit enim: In Porphyrium a Victorino translatum p. 74 nonnullus ens summum genus existimasse, quod cur fecerint explicat sequentibus: „Omnia enim sunt et de omnibus Esse praedicatur. Itaque substantia est, et qualitas est, item quantitas est, ceteraque esse dicuntur, nec de his aliquid tractaretur, nisi haec, quae praedicamenta dicuntur esse constaret. Quae cum ita sint ultimum omnium genus ens posuerunt, scil. quod de omni-

---

[7]) Anitii Manlii Severini Boethi in omnibus philosophiae partibus inter *Latinos* et Graecos autores principis opera, quae extant omnia etc Basileae apud *Henrichum Petrum 1546 fol. p.* 165.

bus praedicaretur. Ab eo enim, quod dicimus Est participium inflectentes, Graeco quidem sermone ὄν latine ens appellaverunt. Sed Aristoteles sapientissimus principiorum cognitor reclamat huic sententiae nec ad unum res omnes putat duci posse primordium, sed decem esse genera in rebus. Quae cum a semetipsis diversa sunt, tum ad nullum commune principium educuntur" [8]) etc. „Convincitur hac quoque ratione id, quod dicimus ens, praedicamentorum genus esse non posse; unius enim rei duo genera esse non possunt, nisi alterum alteri subjiciatur, ut hominis genus est animal animato velut species supponatur. At si duo sibimet ita aequalia sint, ut nunquam alteri alterum supponatur, haec utraque eidem speciei genera esse non possunt. Ens igitur atque Unum neutrum alteri supponitur, neque enim unius dicere possumus genus ens, nec ejus, quod dicimus ens, unum. Nam quod dicimus ens, unum est, et quod unum dicimus, ens est, genus autem et species sibi invicem minime convertuntur. Si igitur praedicatur ens de omnibus praedicamentis, praedicatur etiam unum. Nam substantia unum est, qualitas unum est, quantitas unum est, ceteraque ad hunc modum. Si igitur, quoniam Esse de omnibus his praedicatur, omnium genus erit ens: et unum, quoniam de omnibus praedicatur, erit omnium genus, sed unum atque ens (ut demonstratum est) minime alterum alteri praeponitur. Duo igitur aequalia singulorum praedicamentorum genera sunt, quod fieri nequit [9]): cum hoc igitur ita sit, id Porphyrius determinavit dicens: non ita in rebus ut in familiis omnia ad unum principium posse deduci, nec omnium rerum commune esse genus posse, ut Aristoteli placet, sed sunt praeposita inquit, quemadmodum in praedicamentis dictum est, prima decem genera." Quos Boetius respexerit cum dicat nonnullos summum genus ens posuisse haud difficile est perspectu: sunt enim Stoici, quorum priores entis notionem summam habuerunt, posteriores autem cum corpora tantum secundum Stoicorom doctrinam re vera sint, animus autem noster etiam

---

8) cf. Prantl: l. l. I p. 427.

9) cf. Arist. top. IV, 6 p. 127, a, 28: εἰ οὖν τὸ ὂν γένος ἀπέδωκε, δῆλον ὅτι πάντων ἂν εἴη γένος, ἐπειδὴ κατηγορεῖται αὐτῶν· κατ' οὐδενὸς γὰρ τὸ γένος ἀλλ' ἢ κατὰ τῶν εἰδῶν κατηγορεῖται. ὥστε καὶ τὸ ἓν εἶδος ἂν εἴη τοῦ ὄντος. συμβαίνει οὖν κατὰ πάντων, ὧν τὸ γένος κατηγορεῖται, καὶ τὸ εἶδος κατηγορεῖσθαι, ἐπειδὴ τὸ ὂν καὶ τὸ ἓν κατὰ πάντων ἁπλῶς κατηγορεῖται, δέον ἐπ' ἔλαττον τὸ εἶδος κατηγορεῖσθαι.

res incorporeas sibi fingat, latiorem notionem, scil. aliquid posuerunt [10]), de quo recte dicit Petersenius [11]): „Itaque *τὸ τί* (quaecunque res seu aliquid) nullo alio sensu quatuor istis generibus commune atque superpositum esse (*κοινὸν ἐπ᾽ αὐτῶν ἐπιτιθέμενον*) eaque in se continere (*περιλαμβάνειν*) dici potest, nisi quod cuncta de eo praedicando sunt.“ Quodsi jam ea respicimus, quae Boetius affert ad Stoicorum sententiam refellendam facile Aristotelis ipsius doctrinam invenimus. Philosophus enim compluribus locis demonstrat *τὸ ὂν* et *τὸ ἓν* genus non esse, ex quibus unum hic afferre satis erit. Metaph. B, 3, 998 b 22: *οὐχ οἷόν τε δὲ τῶν ὄντων οὔτε τὸ ἓν οὔτε τὸ ὂν εἶναι γένος· ἀνάγκη μὲν γὰρ τὰς διαφορὰς ἑκάστου γένους καὶ εἶναι καὶ μίαν εἶναι ἑκάστην· ἀδύνατον δὲ κατηγορεῖσθαι ἢ τὰ εἴδη τοῦ γένους ἐπὶ τῶν οἰκείων διαφορῶν· ἢ τὸ γένος ἄνευ τῶν αὐτοῦ εἰδῶν· ὥστ᾽ εἴπερ τὸ ἓν γένος ἢ τὸ ὂν οὐδεμία διαφορὰ οὔτε ὂν οὔτε ἓν ἔσται.* [12])

Quod autem attinet ad hanc Aristotelis argumentationem non negari potest, ea rem non accurate tractari, nam vera causa, cur ens et unum genus esse non possint, est, quod omnino duae illae notiones nihil continent, id quod Schuppius et Kirchmannus [13]) rectissime mihi monere videntur, quorum prioris verba, cum infra etiam ad ea respiciendum erit, adscribere placet: „Offenbar ist dies *ὂν* dem Aristoteles zu allgemein, zu weit, d. h. es hat zu wenig, richtiger gesagt gar keinen Inhalt, es ist nichts. Dies *ὂν*, das man versucht sein könnte als das Allgemeinste noch über die Kategorien zu stellen, ist total verschieden von dem, was als Eingetheiltes den Kategorien zu Grunde liegt, von dem sie ausgesagt werden. Jenes ist ausdrücklich jedes Inhaltes entleert, dieses enthält Alles, nur ungeschieden, alle Bestimmtheiten des Concreten, es ist die einzutheilende Welt“. Cui judicio quamquam in universum subscribo tamen mihi non ne-

---

[10]) cf. Zeller: Die Philosophie der Griechen III, 1 p. 83.

[11]) Stoicorum, inprimis Chrysippi de categoriis seu summis generibus doctrina. Diss. quam scr. Chr. Petersen. Hamburg 1827 p. 39.

[12]) cf. Bonitzii commentarium et Trendelenburg: Geschichte der Kategorienlehre. Historische Beiträge zur Philos. vol. I p. 67 ubi plures, qui huc spectant, locos congestos reperies.

[13]) cf. Kirchmanni adnotationem 202 ad Arist. Metaph. ab eo transl. et *W. Schuppe: Die Aristotelischen* Kategorien in: Programm des Kgl. Kathol. *Gymnasiums zu Gleiwitz. 1866* p. 23.- quae disputatio etiam prodiit Berolini 1871.

cessarium videtur inter illud ὄν quod categoriis subjicitur, quae vocantur *κατηγορίαι ὄντος* et illud quod genus non esse Aristoteles affirmat, discrimen statuere, id quod evitamus accepta interpretatione Bonitzii [14]), qui summam suae de categoriis Aristotelicis disputationis his verbis collegit: „Die Kategorien bezeichnen die mehrfachen Bedeutungen, welche das Sein im allgemeinsten Sinne dieses Wortes hat; sie sind die obersten Geschlechter, welche das gesammte Bereich des Seienden so eintheilen, dass jedes Seiende einer derselben angehören muss und nicht mehreren zugleich angehören kann.“ Quam explicationem si tenemus etiam id patet, quomodo de singulis categoriis iterum *τὸ ὄν* praedicari possit, id quod ex Schuppii sententia fieri nequit. Jam igitur investigavimus ens et unum restant bonum, verum, res, aliquid. De bono iterum Boetium introducam exponentem, qui omnino inter antiquos philosophos et scholasticos tanquam interpres intercedit. Dicit ille in opusculo, cui inscripsit: „An omne quod est, bonum sit“ (edit., quam supra attulimus p. 962): „Tenet enim communis sententia doctorum, omne quod est, ad bonum tendere. Omne autem tendit ad simile, quae igitur ad bonum tendunt, bona ipsa sunt. Sed quemadmodum bona sunt, inquirendum est, utrumne participatione an substantia. Si participatione, per se ipsa nullo modo bona sunt. Nam quod participatione album est, per se in eo, quod ipsum est, album non est, et de ceteris qualitatibus eodem modo. Si igitur participatione sunt bona, ipsa per se nullo modo bona sunt, non igitur ad bona tendunt. Sed concessum est, non igitur participatione sunt bona, sed substantia. Quorum vero substantia bona est, id quod sunt, bona sunt. Id autem, quod sunt, habent ex eo, quod est esse. Esse igitur ipsorum bonorum est, omnium igitur rerum ipsum esse, bonum est. Sed si esse bonum est, ea, quae sunt in eo, quod sunt, bona sunt idemque est illud esse, quod bonum esse.“ Atque Aristoteles ipse nonnullis locis dicit *τὸ ἀγαθὸν* toties, quoties *τὸ ἕν* praedicari. Contentus sum uno loco exscripto, aliis indicatis.

Eth. Nicom. d, 4, 1096ᵃ 20,23: *τἀγαθὸν λέγεται ἰσαχῶς τῷ ὄντι, ἐν πάσαις ταῖς κατηγορίαις, ὁμώνυμον.* cf. praeterea: M. Mor. d, 1, 1183ᵃ 9 *β*, 7, 1205ᵃ 9. Eth. Eud. d, 8, 1217ᵇ

[14]) Bonitz: Ueber die Kategorien des Aristoteles in: Sitzungsberichte der philolopisch-histor. Classe der Kaiserl. Akad. der Wissenschaften zu Wien. *vol. x. Jahrg. 1853.* p. 591. p. 599.

26 [15]). Vidimus igitur unde notiones ens, unum, bonum repetendae sint et verum ex eodem fonte prodiisse haud audax videtur conjectura. Imo Joannes Picus Mirandulanus [16]) dicit: „Aristoteles multis in locis respondere haec sibi invicem et aequali esse ambitu, unum scil. et ens, verum item et bonum.“ Quos locos equidem non reperi; nullo certe loco occurrerunt quatuor illae notiones conjunctae. Res et aliquid a quo inter transcendentia posita sint infra elucebit; nunc quidem ad eum locum unde egressi sumus revertamur et notiones usque ad recentiora tempora persequamur De nomine postea accuratius disputabimus.

Notiones igitur illae simulatque in illo opusculo prolata erant, per omnia deinceps saecula a logicis et metaphysicis pientissime servantur variisque modis explicantur. Proximis post Thomam temporibus quid doctoris angelici discipuli de transcendentibus judicaverint, vide apud Wernerum: l. l. III Geschichte des Thomismus p. 293. Ut appareat, quomodo alius alii horum terminorum doctrinam tradiderit nonnullos scholasticorum nominabo. Redeant termini in opusculo Fransisco Magroni attributo, cf. Prantl: l. l. III p. 289 Not. 534: „Formalitates sunt in quadruplici differentia, quia quaedam specialissima, ut humanitas et asineitas, secundae sunt subalternae, ut animalitas, tertiae sunt generalissimae ut formalitas qualitatis et quantitatis, quartae sunt transcendentes, ut entitas, unitas, veritas bonitas.“ Apparet igitur his notionibus ea exprimi, quae omnibus rebus et diversis rerum generibus conveniunt [17]), id quod elucet ex explicatione Armandi de bello visu, qui dicit (Prantl: l. l. III p. 310) „Nomina, quae exprimunt modum entis consequentem generaliter omne ens et addunt hunc modum exprimendo ipsum varie super ens, sunt quinque transcendentia, et ens ad quod addunt hunc modum, est sextum transcendens.“ Fere eodem modo de transcendentibus agit

---

[15]) cf. Bonitz: l. l. p. 599.
Zeller: Platonische Studien. p. 280.

[16]) Joannis Pici, Mirandulae Concordiaeque comitis, Theologorum et Philosophorum, sine controversia, Principis etc. opera, quae extant omnia. Basileae. Per Sebastianum Henricpetri. p. 161.

[17]) *cf. K. Werner: l. l. II p.* 16 adnot.

Campanella, cujus definitionem propterea jam hoc loco apponere licebit, quamquam si temporis rationem haberemus infra ponenda esset. Dial. I p. 32 [18]): „Transcendens est terminus universalissimam communitatum omnium communitatem significans; praetereaque in oratione praedicabilis immediate de omnibus diversis generibus in quid analogum, ut ens verum bonum et unum." Notiones „hoc, illud, aliquid, res" appellat subtranscendentia. Quatuor tantum transcendentia occurrunt apud Joannem Gersonem, cf. Prantl l. l. IV p. 144: „Significatio metaphysicalis multum distinguitur a significatione grammaticae vel logicae vel rhetoricae, quae sunt partes philosophiae sermocinalis. Ratio est, quia significatio metaphysicalis consistit in solo intellectu vel ratione et generatur a primis impressionibus naturae, quae sunt transcendentes, i. e. ens unum, ens verum, ens bonum, ens aliquid ... vel sex ut alii voluerunt". Quibus cum verbis haud inutile erit conferre ea, quae sanctus Thomas de intellectu docet. Affero, quae Wernerus l. l. II p. 15 ejus doctrinam exponens dicit. „Mit der Wahrnehmung, dass etwas ist, ist mithin nothwendig eine Apperception dessen, was es ist, verbunden; in der gedankenmässigen Ermittelung des Was besteht das Verständnis des Wahrgenommenen. Dies ist aber nicht mit einer ersten und unmittelbaren Apprehension des Wirklichen durch eine intentio prima als solche errungen, obschon es in derselben implicite enthalten liegt. Die selbsteigenste Aufgabe des Intellektes ist vielmehr diese, die in der unmittelbaren Apperception des Objektes unmittelbar geeinigten Momente: das Sachliche als solches (das quid) und die Form, unter welcher dasselbe zum Objekte der intellektuellen Apprehension wird (das quod) von einander zu unterscheiden"; ad quem locum Wernerus adnotat: „In den terminis, welche sich rein auf das esse als solches beziehen d. h. dasjenige an den Dingen ausdrücken, worin diese ausserhalb jeder generischen Bestimmtheit stehen, lässt sich kein quid und quod mehr unterscheiden. Man zählt sechs solche terminos: ens, res, unum, aliquid, verum, bonum."

Nihil novi inest in iis, quae Petrus Tartaretus et Oliverius de Siena de transcendentibus dicunt, cf. Prantl: l. l. IV p. 205 et 234.

---

[18]) cf. Trendelenburg: l. l. I p. 256.

Copiosissime de transcendentibus agit Joannes Henricus Alstedius[19]), professor Herbornensis, qui quamquam quod ad aetatem attinet scholasticis non adnumerandus est, tamen in metaphysica eorum doctrinam retinuit. Cujus viri libros ut hac in disputatione maxime respiceremus duabus potissimum causis commoti sumus: primum enim aliorum, qui aeque copiose de transcendentibus agunt, libri non praesto erant, praeterea autem vix quisquam inter scholasticos ipsos reperiri poterit, qui eodem ingenii acumine et eadem orationis perspicuitate usus sit. Quare excusari puto, quod hoc demum loco accuratius de singulis terminis agemus.

Praeterea hoc loco aptissime veniam rogare posse mihi videor, quod ipsorum philosophorum explicationes plerumque exscripsi. Quod me propterea fecisse scias, quia si eorum sententias ipse exponere voluissem studio puri sermonis ductus molestissimis circumscriptionibus uti debuissem neque tamen obscuritatem evitassem.

Primum Metaphysicae librum destinavit Alstedius transcendentibus et cum magnam copiam doctrinae ex aliis scriptoribus, quorum alios nominat aliis tacite utitur, congesserit vix nobis metuendum est, ne quid, quod non nullius momenti sit, nos fugiat.

Incipit cap. 1 exponens de nomine transcendentium, ad quod explicandum duabus rationibus utitur. Dicit enim „Transcendens est, quod in nullo est praedicamento, vagatur tamen per omnia praedicamenta. Molinaeus: introd. log. c. 4.“ et „Dicitur transcendens (scil. ens) quasi trans omne ens, vel quasi transiens omne ens. Armandus de bello visu c. 274. Idque contingit tripliciter.

1. Entitatis nobilitate, sic solus Deus est transcendens; quia enim nihil est eorum, quae sunt, siquidem supra omnia est et exsuperat omnia, idcirco nomen omne recusat ac transcendit universa, quae nominari possunt etc.

2. Transcendens dicitur non ab entitatis nobibitate sed a praedicationis communitate, et sic illud quod potest praedicari de omni ente, dicitur Transcendens.

Observanda autem hic duplex praedicatio, una formalis, ut,

---

[19]) Johan-Henrici Alstedi Metaphysica. Herbornae Nassoviorum 1613 et Johannis-Henrici Alstedi Encyclopaedia, septem tomis distincta. Herbornae Nassoviorum. 1630. tom. III p. 573 Encylop. l. XI. proponens Metaphys. etc.

homo est animal rationale: alia denominativa, ut, homo est albus, homo est species. Nam species non praedicatur de homine, ut quid: sed ut modus, id est, notio secunda. Itaque τὸ quid hic non opponitur τῷ quali, sed modo. Nam si opponatur τῷ quali, species praedicabitur in quid de homine. Illud ergo, quod praedicatione formali praedicatur de omni ente, eo modo, quo cuilibet enti convenit, dicitur Transcendens. Propterea formalitas dicitur transcendens, quasi trans omne ens, communitate scil. formalis praedicationis. Et sic Transcendens proprie dicitur de tribus illis transcendentibus uno scil. vero et bono. Et hic est communis vocabuli usus.

3. Transcendens communissimo significatu sive late dicitur, quod transcendit omnia praedicamenta. Neque tamen idcirco haec sunt summa genera, nec sunt universaliora categoriis nec sunt κοριολέκτως universalia. Nam universalia simul et uno conceptu omnia singularia complectuntur et animo nostro subjiciunt. At ens, unum, verum, bonum, non comprehendunt simul singularia, sed dicuntur seorsim de singulis, non secus ac Caesar de omnibus Caesaribus: nec tamen quis quam Caesarem dixerit universale aut genus esse Caesarum Molin. Isag. log. c. 4. Manet igitur illud Philosophi πολυθρύλλητον: κατηγορίαι ἀνώτατα γένη, praedicamenta sunt summa genera."

Hic igitur ut jam supra diximus quaerendum est, unde nomen transcendentium originem duxerit, neque puto difficile perspici nomen transcendentium recte tantum, secundum ipsorum scholasticorum explicationes illis notionibus imponi, quatenus ad Deum referuntur. Nam propria verbi transcendendi significatio est „über Etwas hinausgehen" et Deus transcendens dicitur, quia transcendit captum nostrum, cf. Alsted. Encyclop. III p. 574. Eodem autem modo vocabulum accipiendum est, cum de eo ente agitur, quod non „nobilitate entitatis" sed praedicationis communitate super praedicamentis collocatur. Nam illud ens quodammodo super praedicamentis posuerunt et fecerunt, quod ut faciamus facile nos induci posse Schuppium dicere in memoriam revoco. Quodsi quaerimus quo tempore nomen primum occurrat, adjuvat nos Joannes Picus, qui q. 57 inter „Conclusiones philosophicas„ decimam tertiam hanc profert: „Sex transcendentia, quae ponit communis doctrina, a junioribus Latinis sunt efficta, ea et Graeci Peripatetici, et princeps eorum Aristoteles nescit." Verbis „juniores Latini" cum equidem potissimum Boetium significari puta-

rem accuratius inquisivi num ille eas notiones eo nomine significaverit. Nam Picum de nomine tantum, non de ipsis notionibus hoc loco agere patet, cum idem p. 160 dicat Aristotelem multis locis affirmare unum, ens, verum, bonum sibi invicem respondere, quo loco supra jam usi sumus. Sed nihil reperi apud Boetium neque aliam nominis explicationem proferre possum, quam: primum notiones illas Deo tantum attributas postea demum ad categorias relatas et nomen, quod proprie tantum in Deum caderet, servatum esse. Omnino autem totius de transcendentibus doctrinae origo est valde obscura. Id fortasse mihi conjicere licet originem quaerendam esse in Neo-Platonicorum doctrina, cum sanctus Thomas quatuor notiones ex libro de cauis sumpserit, quem Neo-Platonicorum doctrinam continere testes sunt ei, quorum libros supra attulimus.

Jam ad Alstedii disputationem illustrandam pauca addenda videntur. Deum praedicamentis non contineri jam vetustiores cognoverant, e quibus Augustinum afferre satis sit, qui de trin. V, 1, 2 categoriis utitur ad Dei naturam circumscribendam cum dicat. Ut sic intelligamus Deum, si possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ praesentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest omnino invenire quid sit, pie tamen cavet, quantum potest, aliquid de eo sentire quid non sit. Est tamen sine dubitatione substantia, vel si melius hoc dicitur essentia“ [20]). Cf. Litomislenus [21]), Metaphys. c. 2 p. 13.

Quo loco dividit Metaphysicam in partem generalem et specialem, quarum priorem hoc modo describit: „Pars generalis est, quae tradit transcendentia; quae sunt Entis tum principia, tum passiones: quae dicuntur transcendentia eo quod vagantur per omnia praedicamenta, ratione communitatis. Deus alio sensu dicitur transcendens, videl. ratione eminentiae et singularitatis“ et similiter Deus extra praedicamenta esse dicitur in Logica Hamburgensi [22]). Ea quae extra praedicamenta sunt, partim sunt exempta, partim exlcusa.

---

20) Trendelenburg: l l. I p. 243

21) Metaphysicae brevissima delineatio etc. proposita a Johanne Litomilo Litomisleno Bohemo. Herbornae Nassoviorum. Anno Coronationis pii Induperatoris Mathiae.

22) *Logica Hamburgensis,* hoc est, Institut. logicae etc. autore Joachimo *Jungio. 1638, p. 88.*

1. „Exempta sunt, Deus ter opt. maximus et Transcendentia. Dei enim absolutissimae perfectioni et simplicitati repugnat ex genere et differentia componi. Transcendentia vero generibus summis sunt superiora." His igitur locis probatur Dei naturam non categoriis sed transcendentibus tantum penitus describi posse, sed etiam haec non sufficere, erant qui contenderent. Audiamus Picum Mirandulanum de hac re disputantem p. 162: „ens concreti nominis faciem habet: Idem enim dictum ens et id, quod est: Cujus abstractum videtur haec dictio, Esse, ut ens dicatur, quod ipsum esse participat. Sicut lucens dicitur, quod lucem participat, et videns, cui inest ipsum videre. Ad hanc ergo exactam entis significantiam si respiciamus, illud esse negabimus ens, non solum, quod non est, et quod est nihil, sed illud, quod adeo est, ut sit ipsum esse quod a se et ex se est, et cujus participatione omnia sunt [23]), sicut non id solum negabimus esse calidum, quod est expers caloris, sed quod ipse calor est. Tale autem est Deus, qui est totius esse plenitudo, qui solus a se est, et a quo solo nullo intercedente medio ad esse omnia processerunt. Hac igitur ratione vere dicemus Deum non esse ens, sed super ens et ente aliquid esse superius, hoc est, Deum ipsum, cui quoniam unius datur appellatio, consequens inde ut unum supra ens esse fateamur. Vocamus autem nunc Deum unum, non tam enuntiantes quid sit, quam quomodo sit omnia, quae est et quomodo ab ipso alia sint. Unum enim inquit Dionysius, dicitur Deus, quia unice est omnia. Rursus unum dicitur, quia ita principium omnium est, quae sunt, sicut omnium numerorum principium unitas est. Qua propter si, ut volunt Academici, Plato in prima positione Parmenidis affirmat unum esse ente superius, non erit illud unum aliud, quam Deus, quod et ipsi fatentur communi consensu, asseverantes de primo rerum omnium principio ibi a Platone tractari.

At dicet quispiam hoc saltem ex parte discors erit Aristoteles a Platone, quod Aristoteles nunquam ita ens accipit, ut sit sub uno Deumque non comprehendat, quod Plato facit. Hoc qui dicunt Aristotelem non legerunt, facit enim et ipse hoc, et longe clarius quam Plato. Nam sexto primo philosophiae libro ait dividi ens in ens per se et ens per accidens. Cum ens per se in decem genera, du-

[23]) *cf.* quae supra ex libro de causis et e scriptis Vivis attulimus.

bium nullum apud bonos interpretes sub hoc ente Deum non contineri, qui neque est ens per accidens, neque sub ullo decem generum continetur, in quae dividitur ens per se. Vulgata item apud Peripateticos est illa divisio qua dicitur ens dividi in substantiam et accidens. Quod cum sit ita, accipimus ens, ut Deus supra ens sit, et non sit sub ente, quemadmodum docet Thomas primo libro commentariorum in theologicas sententias. Adjiciam et hoc injuria gloriari quosdam Platonicos, quasi mysterium habeant Aristoteli ignotum, cum dicunt, duas esse proprias dei appellationes, unum scil. et bonum, atque ita bonum et unum ante ens esse. Sicut enim ostendimus non latere Peripateticos quomodo supra ens Deus intelligi possit, possumus et hoc ostendere duo inprimis haec nomina boni scil. et unius Deo Aristotelem dedisse.“ Haec sufficiant ad demonstrandum, quam mira homines illi excogitaverint.

Jam de singulis notionibus agemus, quae in re Alstedium sequemur, quem de ordine exponentem primum introducere placet. Alstedius p. 62 metaphys. profert Platonicam disputationem secutus Picum Mirandulanum. „Aliter illa (scil. transcendentia) in Deo, aliter in his, quae sunt post Deum, considerantur. In rebus creatis hoc modo insunt. Omnia, quae sunt post Deum, habent causam efficientem, exemplarem et finalem. Ab ipso enim, per ipsum et ad ipsum sunt omnia. Si igitur res consideramus, ut a Deo efficiente constituuntur, sic entia dicuntur, quia esse participant. Si ut exemplari suo, quam vocamus ideam secundum quam illas condidit Deus, quadrant et respondent verae dicuntur. Vera enim imago Herculis dicitur, quae vero Herculi conformatur. Si ut ad eum, tanquam ad finem ultimum tendunt, bonae dicuntur. Si vero una quaeque res secundum se absolute accipitur, una cognominatur. Hic ergo est ordo: ens, verum, bonum, unum.“ Sed hoc ordine scholastici non utuntur sed plerumque notiones illas sic enumerant: ens (res, aliquid), unum, verum, bonum. Pauca de duobus vocabulis, quae parenthesi inclusimus, monenda restant. Vidimus in opusculo illo, e quo egressi sumus, sex transcendentia enumerari apud Thomann ipsum autem quatuor tantum exstare. Quaerendum est igitur, quis duo illa vocabula addiderit. Prantelius quidem l. l. III p. 245 dicit *addita esse secundum* Arabum exemplum, nixus, ut mihi videtur, loco *ex Alberti Magni scriptis* desumpto. Eandem in rem inquirens cer-

tum hujus rei testimonium inveni apud Picum, qui p. 166 dicit: „verissima ergo sententia est quatuor esse, quae omnia ambiunt ens, unum, verum, bonum, si ita accipiantur, ut illorum negationes sint nihil, divisum, falsum et malum. Addita sunt his quatuor duo alia: Aliquid scil. et res a posterioribus Avicennam secutis, qui multis in locis philosophiam Aristotelis interpellavit, unde sunt illi cum Averroë magna bella pugnata: sed quantum ad hoc spectat parva in re discordia. Dividunt enim hi, quod sub uno intelligitur, in unum et aliquid, quod a Platone non abhorret, qui in Sophista (cf. Plat. Soph. p. 2376. D) inter has communissimas dictiones enumerat aliquid et quod sub ente continetur, partiuntur in ens et res etc."

Praedicata unum, verum, bonum enti tribuenda esse nunquam erant, qui negarent, num autem res et aliquid jam ei dissentiebant, qui haud ita longo tempore Thomam secuti sunt. cf. K. Werner: l. l. III Gesch. des Thomismus. p. 293.

Postea autem nemo dubitabat, quin eodem jure, quo ens, etiam res et aliquid transcendentium honore ornata sint. Ens, res, aliquid ab omnibus appellantur synonyma. Itaque Alstedius, Metaph. p. 25. Theoremat. I dicit „Ens, aliquid, et res sunt synonyma. Id probamus per partes. Ens et aliquid sunt synonyma; quia conveniunt definitiomibus. Etenim ens est, quod essentiam habet: Aliquid est, quod quidditatem habet. Si essentia igitur et quidditas sunt synonyma, quidni etiam ens et aliquid? Deinde ens et res etiam sunt synonyma. Sumuntur enim pro eodem juxta communem loquendi consuetudinem." P. 37 profert Theorema II Aliquid et res non sunt transcendentales entis passiones. Si theorema I verum est, certe etiam II. Arabes tantum referunt notiones res et aliquid inter entis passiones et affectiones. „Nostra sententia ita probatur 1. quia affectiones entis debent habere diversam rationem ab ente est inter se. Haec autem duo nullam habent diversam, sed sunt synonyma cum ente, ut vestis et indumentum. 2. Rem conjungendam esse cum ente, manifestum est. Significantium essentiam et quidditatem entis, ideoque praedicatum quidditationem et non affectionem. 3. Quia omnis passio, cum illo, cujus est passio, adjective conjungi potest ac debet, hoc est, denominative de suo subjecto dici, ut corpus nigrum, album etc. Sic ens, unum, verum, bonum. Verum Res cum ente adjective non conjungitur; sed quidditative sive in quid praedicatur

ut, Ens est res. Ergo non est passio entis. 4. Idem quoque de τῷ aliquid statuendum est. Qui enim audit vocem Aliquid, statim Rem concipit, quae non sit omnino nihil, sed habeat quandam essentiam.

Haec de Ente, re, et notione aliquid sufficiant, jam transeamus ad unum, de quo Alstedius dicit p. 65: „Unius vox tripliciter usurpatur: 1. pro transcendente, quod cum ente convertitur. 2. pro eo, quod simplex quoddam est, ita ut nullam habeat pluralitatem rerum distinctarum. 3. pro principio numeri.“ Nobis tantum ea respicienda sunt, quae ad primum spectant. Pergit deinde Alstedius: „Unum transcendentale est, quod cum ente convertitur, ut de quocunque ens praedicari possit unum quoque praedicetur, qua ratione in nullo est praedicamento, sed in omnibus, ut quod in quovis entium genere sit aliquid indivisum.“ cf. K. Werner.: Der h. Thomas v. Aquino II. p. 181 adn. 1: „Unum nihil aliud significat, quam ens indivisum. Et hoc ex ipso apparet, quod unum convertitur cum ente. Nam omne ens est aut simplex aut compositum. Quod autem est simplex, est indivisum et actu et potentia. Quod autem est compositum, non habet esse quamdiu partes ejus sunt divisae, sed postquam constituunt ct componunt ipsum compositum. Unde manifestum est, quod esse cujuslibet rei consistit in indivisione; et inde est, quod unumquodque, sicut custodit suum esse, ita custodit suam unitatem.“ Eadem fere verba legis apud Alstedium p. 74: „Sicut res conservare studet suum esse, ita et unitatem. p. 75: Ens et unum transcendens sunt idem realiter, sed distinguuntur formaliter. Ratio est quia, quae simul generantur et corrumpuntur, sunt idem. Sed ens et unum sic se habent, quod dum generatur ens, generatur unum. Nam cum generatur homo, generatur ens homo et unus homo. Ergo sunt idem. Haec autem simultas debet intelligi non solum de simultate temporis, sed etiam naturae. p. 76: Unum non est prius ipso ente, sicuti Platonici prodiderunt (cf. quae supra e Pico Mirandulano attulimus). Sic autem argutantur. Ens concretum est. Quare abstractum ejus eo prius erit: hoc autem est esse, aut essentia aut entitas. Quid tum? Deus, inquiunt, unum est. At Deus solus est et esse et essentia seu entitas. Unum igitur antecedet. His non alia comparanda est responsio, quam quae sita est in simili objectione. Dicere licebit *igitur: Deus unitas est et* entitas est. In eo autem nihil prius aut *posterius.* Quum ergo sit entis et unius aequalitas, quid dicendum?

Dicendum est ita: licet sit aequalitas entis et unius (nam entis quidditas est esse, unius quidditas est essendi indivisibilitas) ita ut sit aequalis natura ad mutuam praedicationem; ita tamen aequalis est, ut sit illa prior: Ens est unum. Unum ergo est in natura, quia essentiae particeps est. Nam unitas neque de se, neque de alio praedicari, vel etiam mente concipi potest: quin percipiatur animo prius ipsum esse: secundo vero loco esse id quod est."

Audiamus quae Alstedius de veritate exponit.

p. 86: „Veritas variis modis a philosophis accipitur: 1. pro veritatis cognitione, sic accipit Plato in symposio, dum inquit, animi cibus est veritas. 2. pro veritate morali, de qua Arist. b. 4 Eth. c. 7. 3. pro eo, quod re vera existit et sic opponitur ficto et apparenti. Hinc tritum illud, aliud est *εἶναι*, aliud *φαίνεσθαι*. 4. pro veritate vitae, quando homo in vita sua implet id, ad quod ordinatur per intellectum divinum. 6. pro attributo entis. p. 87: distinguitur praeterea veritas primum in complexam et incomplexam. Incomplexa quae est transcendentalis et Metaphysica est ipsius rei veritas, nempe conformitas rei cum intellectu divino, vel cum principiis a quibus orta est.

p. 88: Veritas, ait Armandus de Bello visu tract. 2. c. 24, est quadruplex. Una, quae dicitur prima veritas, ut Deus, alia veritas creata, quae est cujusque rei entitas; alia veritas intellectus, alia veritas orationis.

p. 91: Veritas, quae proprie ad Metaphysicam pertinet, est conformitas rerum cum intellectu divino, hoc est, cum rationibus formalibus ipsarum, quae sunt in mente divina. Nam res ideo sunt verae, quia congruunt cum mente divina.

p. 91: III Veritas est propria passio entis. Verum enim reciprocatur cum ente et sequitur ipsam naturam entis. Igitur est vera et propria passio entis. IV Ut unumquodque est, ita et verum est. V Sicut homo rebus dare non potest essentiam, ita nec veritatem. Neque enim aliquid verum est quia homo sic cogitat aut dicit etc." De bono agit Atstedius p. 97:

„Bonum aliud est transcendentale, aliud naturale, aliud morale.

Bonum transcendentale est, quod in congruentia consistit, et contrarium non habet, nec realiter ab ente distinctum est, undeque de ente demonstrari nequit: quia nihil prius habet: sed est affectus

pure in notione constitutus, propterea quod sine ullo medio consequatur ens.

p. 100, 7: Bonum totidem modis dicitur quot ens. Arist. l. I Eth. 6. Nam et in substantia dicitur bonum ut Deus, et meus, qui est sui communicativus per creationem; per gratiam, per incarnationem seu unionem, per visionem, seu gloriam: in qualitate ut virtus; in eo quod est ut aliquid; in tempore ut occasio etc.

p. 105: III Bonum est propria passio entis. Bonum enim reciprocatur cum ente et ejus naturam insequitur. Nam quod omne ens sit bonum, hinc liquet, quia nulla res est quantumcunque exiguae entitatis, quae alicui non congruat. Quod autem omne bonum sit ens hinc facile colligitur. Nam bonum significat convenientiam secundum existentiam realem possibilem, sola vero entia possint existere realiter, perspicuum est, omne bonum esse ens. Et ipse Arist. l. I Eth. cap. 6 hoc ipsum docet, cum dicit: Bonum et ens aeque late patere. Quod denique bonum esse, sequatur naturam entis, ex eo patet, quia convenientia rerum in ipsa rerum entitate fundatur. p. 106: VII Nullum ens potest dici malum in quantum ens est, sed in quantum caret quodam esse."

Ut sententiam: omne ens bonum esse, fulcirent alii usi sunt Geneseos, cap. I versu, quo dicitur deum inspexisse et bona judicasse Quorum e numero nonnullos afferre libet.

Litomislenus: Metaphys. p. 25:

„Bonum essentiale est vel transcendentale, affectio entis, sic omnia bona dicuntur Geneseos I capite: vel naturale, quod naturae convenit, ut aqua pisci." Keckermannus [24]) I p. 2018:

„Bonum et Ens convertuntur, id est, propterea quaelibet res bona est quia essentiam habet. Contra vero omne non-Ens malum est, quia essentiam non habet. Hinc intelligitur id quod extat sub finem cap. I Geneseos: vidit Deus, quae fecerat et ecce erant omnia valde bona, ubi Scriptura non loquitur de bonitate vel morali vel spirituali (nam coelum, terra et alia inanimata, ut etiam plura animata, nempe plantae et bestiae nec moraliter nec spiritualiter bona erant) sed loquitur de bonitate hac Methaphysica et vult significare omnes creaturas fuisse bonas bonitate essentiae: quia nempe essentiam

[24]) Bartholomaei Keckermanni etc. operum omnium, quae supersunt. tom. I Ge-nae 1614.

habuerunt talem, quae Deo placeret et esset ejus voluntati conformis et denique quam possent desiderare Angeli atque homines." Fere eodem modo Vives l. l. p. 489 [25]): „Dei, ut est in sacris literis perfecta sunt opera: huic omnia sunt consummata et suis omnibus partibus expleta, atque hac ipsa de causa bona etiam: videlicet bonum est cuique quod ipse vult aut tanquam finem, aut tanquam ad finem. Neque enim voluntas et appetitus omnis alio fertur, quam ad boni rationem et speciem. Itaque finis et quae ad finem spectant boni semper faciem ac formam obtinent. Idcirco in sacra historia dicitur: Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona: quod Plato in Timaeo secutus dicit opificem naturae, quum contemplatus esset opus absolutum, perfusum esse laetitia, illudque approbasse: videlicet rebus omnibus adhaesit aliquid ex ingenio causae ejus, qua mundus est procreatus, nempe bonitatis Dei, quae illam ad novam hanc molitionem adduxit." Ut totam rem absolvamus etiam ea adscribimus, quae Hobbius [26]) hac de re dicit. „Bona erant ab initio omnia, quae creavit Deus. Quare? Quia ipsi opera sua omnia placuere." Videmus igitur tales sententias vel argumentationes per saeculorum cursum propagari, cujus rei ut aliud exemplum proferam Chimaerae mentionem facio, quae inde a Stoicorum temporibus usque ad finem medii aevi partes habet entis ficti vel non-entis. De bonitate autem transcendentali, quamquam multa jam attulimus, tamen non possum quin unum locum addam, quia in eo singularis verbi transcendendi occurrit usus. Qui extat in Alstedii Encyclop. III p. 585 ubi haec leguntur: „Philosophi recte dicunt: Prout, quidlibet est ens, ita bonum est. Omna quod est, in quantum est, bonum est: Bonitas fundatur in essentia. Hic ista objiciuntur. Multa enim sunt mala, ut Diabolus. Et materia prima dicitur mala ab Aristotele, qui ipsi quidem asserit: Mathematica non esse bona. Christus etiam ait Mathaei 26 bonum fuisse Judae, si nunquam natus esset. Ex quibus efficitur, nec omne ens bonum esse; neque solum ens, sed etiam non-ens. Ad quae sic distincte respondemus. Multa entia dicuntur mala, non ratione essentiae et definitionis, sed ratione

---

[25]) De Vive in universum cf.: F. A. Lange: Allg. Encyclop. f. das ges. Erziehungs- und Unterrichtswesen v. Schmid. Art. Vives.

[26]) Thomae Hobbes Malmesburiensis opera philosophica quae latine scripsit omnia etc. studio et labore Guilelmi Molesworth. Londini 1839. 5 voll., vol. II p. 96.

qualitatum: non naturaliter et transcendentaliter, sed moraliter. Sic Diabolas obtinet bonitatem essendi, licet non obtineat bonitatem moralem.“ „Naturaliter“ et „transcendentaliter“ hoc loco certe idem significant, quamquam nonnullis aliis loci sibi opponuntur. Ipse enim Alstedius Metaph. p. 97 dicit bonum aliud esse transcendentale aliud naturale, aliud morale, quae scriptoris inconstantia, eo explicanda esse videtur, quod ex diversis scriptoribus materiam congessit. Sic exempli gratia initio metaphysicae postquam dixit categorias esse summa genera neque transcendentibus superari ex Keckermanno adscribit ens esse genus generalissimum. Unitas, Veritas, Bonitas, quas usque ad hunc locum tractavimus sunt primi entis modi, jam de iis paucis absolvendum est, qui ex primis emanare dicuntur.

E quibus, Alstedium secuti, primum nominamus ordinem, de quo Alstedius Metaph. p 108: „Ordinis consideratio Metaphysica est. Cujus enim est scire et docere res universas, ejusdem quoque rerum ordinem. Ordo enim est veluti anima entium: adeo ut nullum ens inveniatur inordinatum. Sicuti enim multitudo transcendentalis non datur: ita nec inordinatio transcendentalis.“

p. 111 (de numero) Numerus praedicamentalis est quantitas, quam ob rem in Deum cadere non potest, in quem tantum cadit. transcendentalis.

p. 112: Numerus transcendentalis neque est substantia, neque accidens: sed modus entis, secundum quem unumquodque numerari potest.“ Numerum transcendentalem in sequentibus appellat originalem

p. 113. de perfectione: Theorema I „Perfectio transcendentalis est Metaphysicae considerationis.“ „Ea est modus, per quem quidlibet in suo genere absolutum est, ita nempe, ut plenam obtineat essentiam, ni qua nihil amplius desideretur.“

p. 115 de pulchritudine. Pulchritudinem exponit esse modum entis, per quem ens delectare intelligatur. Academicos pulchrum non distinxisse a bono, sed eos errasse. Non enim procedere illorum argumentum: Bonum pulchro adaequari propterea esse *ταὐτό*. „Sicut enim non sequitur: Unum enti aequatur, ergo non differunt: ita nec illud sequitur. Recte Plato in Alcibiade (quo loco abutuntur Academici) pulchrum omne inquit, bonum est. Quia scil. *τὸ* pulchrum *est modus* entis ortus unitus (Modi orti uniti sunt, qui cum ente *reciprocantur citra disjunctionem* p. 108) qui reciprocatur cum ente

et ejus modis primis atque ortis. Etenim omne unum, verum, bonum, ordinatum, numerabile et perfectum est pulchrum.

p. 121. (de actu) „Definitionem actus, quod spectat, illa non tam definitio est, quam qualiscunque descriptio. Transcendentium enim nulla datur perfecta definitio [27]).“ Addenda sunt nonnulla de relatione, de qua Alstedius disputat p. 259: „Relata sunt vel *κατὰ τὸ εἶναι καὶ τὸ λέγεσθαι*. Relata secundum esse sunt perfecta relata, quorum alterutro sublato, alterum tollitur, ut pater et filius. Relata secundum dici sunt imperfecta, quorum uno quidem sublato alterum tollitur, sed non vicissim: ut pastor et grex, visus et visibile, scientia et scibile. Nam sublatis grege, visibili et scibili, tolluntur pastor, visus et scientia: sed his sublatis non tolluntur illa.

p. 162: Relationes in Deo non sunt praedicamentales. Ratio: quia nulla in Deo sunt accidentia. [28]) Transcendentales igitur relationes quam rectissime traditae sunt a Dd. Scholae ut l. I vidimus.

Praedicamentalis relatio suum correlatum respicit ut nudum terminum, hoc est, eum proprie non efficit: ut in humanis rebus pater filium et filius patrem respicit. Haec talia relata habent causam efficientem remotam, ratione fundamenti: ut paternitas habet causam efficientem animam vegetantem, quae est causa potentiae genetativae, a qua est paternitas. Paternitas autem illa, ceu accidens minimae entitatis, non potest esse causa efficiens alius accidentis, multo minus substantiae. At vero creator non respicit nude creaturam ut terminum: sed eam efficit.“

Distinguit igitur Alstedius inter relationem secundum dici et secundem esse, quarum posterior est aut praedicamentalis aut transcendentalis, id quod accuratius breviusque exponit Litomislemus, Metaph. p. 31: Relative opposita sunt, quae respectum aliquem includunt, qui respectus dicitur relatio. Est autem relatio alia secundum dici et minus exquisita ut ala dicitur alati, caput capitati, alia secundum esse, cujus est referri ad aliud. Et haec est transcendentalis vel praedicamentalis.“ In relatione transcendentali non opus est ut unum

[27]) Hoc argumentum in quavis fere pagina redit neque omnino infitias eo, multa me invenisse transcendentium nomine significata, quae, ut Alstedii verbis utar „captum nostrum transcendunt.“

[28]) *Substantia enim et accidentia praedicamentis continentur.*

ponat vel tollat alterum et unum per alterum definiatur, quod est rationis praedicamentalis. Litomislenus, Metaph. p. 50, 51.

Alstedius, Encylop. III p. 626. „Relationes divinae prorsus non collocatur in hoc praedicamento, sicut nec aliae transcendentales: relata rationis [29]) et illa secundum dici huc pertinent secundario et per accidens.

Relationes transcendentales sunt vel divinae vel creatae. Illae sunt substantiales et infinitae, ideoque non sunt collocandae in hac categoria. Hae sunt finitae et essentialiter competunt rebus diversorum praedicamentorum; ideoque in uno aliquo praedicamento non possunt habere locum. Quales sunt respectus inclusi in essentia cujuslibet accidentis, per quos ordinatur ad subjectum, cui inhaerere aptum est. Sane cum praedicamentum contineat determinatum essendi modum, ut substantia modum essendi per se, quantitas modum extensionis et vero transcendens non sit determinatum ad aliquem modum essendi sed comprehendat multos: non potest ad speciale aliquod praedicamentum pertinere.“ Quae ex his elucet vacillatio, ut magis etiam conspicua fiat, conferre utile erit ea, quae Suarezius [30]) de relatione docet.

Praeterca ex Logica Hamburgensi nonnulla proferam, cujus cap. 8. 20 praebet haec: „Res ipsae insito respectu ad aliud relatae dicuntur relata secundum dici *κατὰ τὸ λέγεσθαι*. Quae vero adventito respectu affectae sunt, relata secundum esse *κατὰ τὸ εἶναι*.“ Relatio insita explicatur cap. IX his verbis: „Relatio insita est, quae rei secundum ipsam relatae ita intima est, ut ab ea separari nequeat, sive ut res relata absque ea relatione nunquam reperiatur; estque vel Communis vel propria 2. Communis est, quae nulli praedicamento astricta est, sed per plura quasi vagatur. Talis relatio est inter Totum et Partem, inter Subjectum et Inhaerens, inter Causam internam et ejus Causatum. 41. Relatio insita recentioribus

[29]) cf. Alsted. Metaph. p. 261: Relatio rationis est respectus pendens a nostra consideratione: ut dextrum et sinistrum in ripis fluminis, superius aut inferius in coelo.

[30]) cf. Baumann: Die Lehren von Raum, Zeit und Mathematik in der neuren Philosophie nach ihrem ganzen Einfluss dargestellt und beurtheilt. Berlin 1868, vol. I, quod continet: Suarez, Descartes, Spinoza, Hobbes, Locke, ·on. p. 13.

etiam relatio transcendentalis aut transcendens: ad ventitia vero relatio Praedicamentalis dicitur, quasi certo Praedicamento inclusa." Haec de relatione sufficiant et priusquam hanc disputationis partem finiam duos tantum locos adscribam, quibus singulari modo terminus ens usurpatur. Alstedius enim Metaph. p. 30 explicat ens generalissimum esse „quia supra omnia praedicamenta collocatur, et de omni re, aut sensili aut intelligibili dicitur" et Litomislenus p. 7: Inter Metaphysicae officia esse terminos generalissimos explicare, quales sint Unum, Verum, Bonum, actus, potentia etc. „Dari hujus modi terminos manifestum est. Danda ergo aliqua disciplina, quae illos explicet. At nulla particularis scientia id sibi sumit. Considera enim cujusque disciplinae subjectum, quod ente est inferius, et videbis, hujusmodi affectiones nulli subjecto singulari adaequate convenire. Deus unus, verus, bonus; sed non solus: Corpus naturale est unum, verum, bonum, sed non solum. Quaerendum itaque est ulterius adaequatum subjectum, ita ut istae affectiones cum illo convertantur. Tale autem est ens." Ens igitur omnia complectitur et ea, quae sub sensus cadunt et ea, qua sensibus percipi non possunt et intercedit quasi quod dam vinculum. Quos duos locos maxime respicias velim cum mirum in modu consentiant cum ea ratione, qua Lambertus, de quo infra dicemus, vocabulo „transcendens" utitur.

Praeterea non possum, quin ex Alstedio locum exscribam, quo disputationem de transcendentibus commendat propter commodum, quod inde redundet, morale. Dicit enim Metaph. p. 282 VII. „Disputato de uno, vero, bono nos admonet, ut si beati esse volumus, beatissimum omnium imitemur Deum, unitatem in nobis veritatemque bonitatemque possidens etc. Fugiamus itaque a mundo, ad Patrem ubi pax vivifica, ubi lux verissima, ubi voluptas optima. Sed quis dabit pennas, ut illuc volemus? Amor eorum, quae sursum sunt. Quis adimet? Libido rerum, quae super terram, quas si sectemur jacturam facimus et unitatis et veritatis et bonitatis." Quo cum loco cf. Baco[31]): de dignit. et augment. scientiarum l. V. c. I.

Tractavimus usque ad hunc locum praecipue eorum virorum sententias, qui medio aevo vixerunt, jam transeundum est ad tempora renascentium literarum. Quibus quomodo omnis hominum scientia

[31]) The works of Francis Bacon, coll. and edited by James Spedding, Robert *Leslie Ellis* and Douglas Denon Heath. London 1857, vol. 1 p. 614.

mutata omniaque, quae vetustate quasi sancta videbantur labefacta sint, notum est. Cujus permagnae animorum commotionis vestigia, etiam in philosophia conspicua esse necesse est conjiciamus.

At que re vera etiam transcendentia tot saeculis anxie servata diligentissimeque tractata impetui obnoxia erant. Acerrime contra scholasticos pugnavit Laurentius Valla magis tamen linguae latinae quam philosophiae studio et amore ductus. Dicit ille dial. l. I f. II. „... Altera primordia atque principia, quae isti transcendentia appellant, quia transcendant illa summa genera, quia ipsa non sint genera sed supra omnium generum dignitatem potestatemque. Ea numero sex esse dicuntur: ens, res, aliquid, unum, verum, bonum. Quae, quum sunt altiora principia et velut principum principes et quasi ut istis videtur, quidam imperatores ac reges, quia singula praedicamenta sunt ens, sunt aliquid, sunt res, sunt unum, sunt verum, sunt bonum." Deinde Homerico usus versu: *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. εἷς κοίρανος ἔστω* transcendentia, quae cum sex Persis qui ut Darium agnoscerent erant coacti comparat, ut de equis descendant, ironice admonet, non veritus, ne contumeliosus appelletur cum illis terminis honorem negaverit justo majorem. cf. Prantl. l. l. IV p. 162.

Vallae certe judicio et auctoritate ductus Vives iisdem bellum infert, cum dicat de causis corr. artium p. 113: „Tum ascendunt (scil. scholastici) supra praedicamenta et faciunt sex transcendentia ex Sophista (cf. Plat. Soph. p. 237 C D) Platonis male intellecto: ens, res, unum, bonum, verum, aliquid. Sic possunt addi sexcenta: existens, idem, utile. Vero et bono quis utitur pro transcendentibus non nego, quin aliquo in sensu omni rei conveniant ut verum ad essentiam pertineat, bonum ad finem: illud intellectus, hoc voluntatis, sed utrumque in Deo, nam nos fallimur fere et in judicando et in eligendo, nec minus esset transcendens utile aut commodum, quam bonum eadem ratione."

Num Vives autem recte dicat transcendentia ex Sophista Platonis petita esse, ex iis quae prolata sunt dijudicari posse puto. Adjungere hoc loco placet ea, quae Spinoza [32]) de transcendentibus exponit, vol. I p. 102 c. VI de Uno, Vero et Bono. „Hi termini

[32]) Benedicti de Spinoza opera, quae supersunt omnia. Iterum emendata curavit etc. Heur. Eberh. Gottlob Paulus. Jenae 1802. 2 voll.

ab omnibus fere Metaphysicis pro generalissimis Entis affectionibus habentur; dicunt enim omne ens esse unum, verum et bonum, quamvis nemo de iis cogitet. Verum quid de his intelligendum sit videbimus ubi seorsim unumquemque horum terminorum examinaverimus.

Incipiamus itaque a primo scil. Uno. Hunc terminum dicunt significare aliquid reale extra intellectum: verum quidnam hoc enti addat, nesciunt explicare, quod satis ostendit, illos entia rationis cum ente reali confundere, quo efficiunt ut id, quod clare intelligunt, confusum reddant. Nos autem dicimus Unitatem a re ipsa nullo modo distingui, vel enti nihil addere; sed tantum modum cogitandi esse, quo rem ab aliis separamus, quae ipsi similes sunt vel cum ipsa aliquo modo conveniunt.“ Deinde paucis verbis de multitudine factis agit de vero et falso hoc modo: Prima igitur veri et falsi significatio, ortum videtur duxisse a narrationibus, eaque narratio vera dicta fuisse quae erat facti, quod revera contigerat; falsa vero, quae erat facti, quod nullibi contigerat. Atque hanc Philosophi postea usurparunt ad denotandam convenientiam ideae cum suo ideato et contra: quare idea vera dicitur illa, quae nobis ostendit rem, ut in se est: falsa vero, quae nobis ostendit rem aliter, quam revera est: Ideae enim nihil aliud sunt, quam narrationes sive historiae naturae mentales. Atque hinc postea metaphorice translata est ad res mutas, ut cum dicimus verum aut falsum aurum, quasi aurum nobis repraesentatum aliquid de se ipso narret, quod in se est aut non est.

Quocirca plane decepti sunt, qui verum terminum transcendentalem sive entis affectionem judicarunt. Nam de rebus ipsis non nisi improprie, vel si mavis rhetorice dici potest etc. Qui autem bonum aliquod Metaphysicum quaeritant, quod omni careat respectu, falso aliquo praejudicio laborant; nempe quod distinctionem cum distinctione reali vel mod ali confundant. Distingunnt enim inter rem ipsam et conatum, qui in unaquaque re est ad suum esse conservandum, quamvis nesciant, quid per conatum intelligant. Haec enim duo, quamvis ratione, seu potius verbis distinguantur, quod maxime ipsos decepit, mullo modo reipsa inter se distinguuntur.“

De terminis „ens, res, aliquid“ agit Spinoza: Eth. II de mente, vol. II p. 112:

„Ens, res, aliquid termini Transcendentales dicti ex hoc ori-

untur, quod scil. humanum corpus, quandoquidem limitatum est, tantum est capax certi imaginum numeri in se distincte simul formandi, qui si excedatur, hae imagines confundi incipient et si hic imaginum numerus, quarum Corpus est capax, ut eas in se simul distincte formet, longo excedatur, omnes inter se plane confundentur etc. At ubi imagines in corpore plane confunduntur, Mens etiam omnia corpora confusa sine ulla distinctione imaginabitur et quasi sub uno attributo comprehendet, nempe sub attributo Entis, Rei etc.“ Postremo Spinoza rectissime, ut mihi quidem videtur, dicit eos terminos ideas significare „summo gradu confusas.[33]“

Transcendentia retinuit Wolfius,[34]) qui aliis definitionibus (Wolfium definitiones valde adamare constat) accuratius ea se circumscripsisse gloriatur. Ontologiae § 329 agit de unitate, ad quam paragraphum adnotat: „Nimirum quando ens universale unum dicitur, per modum entis singularis, adeoque extra singularia existentis consideratur. Est vero hic sensus, dum genus vel speciem unum quid esse affirmamus, scil. hoc genus unum est, vel haec species una est: genus hoc vel haec species tale ens universale est, ut aliud ens universale impossibile sit, quod illo genere, vel ista specie idem sit. Unitas haec dici solet transcentalis etc.“ Num autem Wolfius ex Scholasticorum sententia recte dicat unitatem entis transcendentalem significare aliud non extare, quod idem sit, facile dijudicare poteris si ea praecipue respexeris, quae ex Thoma Aquinate attulimus. Equidem in scholasticorum unitate transcendentali latere puto Kantianae syntheseos originem. Wolfium omnino scholasticorum sententias non perspexisse etiam ex iis apparebit, quae de reliquis transcendentibus exponit. Pauca ex iis eligimus. „Veritas adeo, quae transcendentalis appellatur et rebus ipsis inesse intelligitur est ordo in varietate eorum, quae simul sunt ac se invicem consequuntur, aut, si mavis, ordo eorum, quae enti conveniunt.“ „Consideramus hic ens absolute, non vero in relatione ad cognoscentem, quo in casu posteriori ens verum dicitur, quod tale est, quale nobis apparet:

---

33) cf. p. 23 adn. 27.

34) Philosophia prima, sive Ontologia methodo scientifica pertractata qua *omnis cognitionis humanae* principia continentur. Autore Chr. Wolfio. Ed. *nova. Francofurti et Lipsiae 1736.*

falsum autem, quod tale non est, quale nobis apparet.“ „Principium contradictionis et principium rationis sufficientis sunt fons omnis, quae datur in rebus, veritatis, hoc est, datur in ente veritas, quatenus ea, quae insunt, per ista principia determinantur.“ Quae verba contraria sunt antecedentibus, nam si ens omnino absolute consideratur etiam sermo esse non postest de principio contradictionis aut rationis sufficientis, quae non sunt nisi in homine. § 502 suam et scholasticorum definitionem comparans dicit: „Notio veritatis transcendentalis seu metaphysicae distincta, quam dedimus, non contrariatur notioni confusae ejusdem, quae Scholasticis fuit. Notionem veritatis metaphysicae Scholasticis non fuisse nisi confusam, satis inde intelligitur, quod eam verbis explicare minime potuerint, etsi terminorum penuria neutiquam laborarent (qua in re Wolfium errare patet) id quod haud fallax eo in casu notionis confusae indicium est. Etsi autem distinctam veritatis trenscendentalis notionem tradere minime potuerint, ea tamen tradidere, quae sufficiunt ad evincendam identitatem notionis distinctae quam nos dedimus cum confusa, quae ipsis fuit.“

Quid Wolfiani de transcendentibus judicarent aut num verbo alio sensu uterentur doleo me librorum inopia impeditum fuisse, quominus exquirerem. Unius Georgi Friderici Meieri Metaphysicam inspicere poteram, in qua nihil inveni. Alio loco licuit terminum longius persequi, quo jam revertamur.

Inter Britannos enim Franciscus Baco, certe Vivis, cujus libri compluries in Britannia prodierunt, exemplo ductus liberius nomine transcendentium utitur. Cujus verba, cum omnino totam viri indolem et ingenium demonstrent afferre placet. [35]) „Est et alia hujus Philosophiae primae pars, quae si ad vocabula respicias vetus est; si ad rem, quam designamus nova. Est autem inquisitio de conditionibus adventitiis entium (quas Transcendentes dicere possumus) Pauco, Multo, Simili, Diverso, Possibili, Impossibili, etiam Ente et non Ente atque ejusmodi. Quandoquidem ista sub Physica proprie non cadant, dissertatio autem Dialectica circa ea magis ad argumentandi rationes, quam ad rerum existentiam ita accomodata, consentaneum omnino est ut haec contemplatio (in qua non parum est

[35]) *edit. qua supra usi sumus p. 543.*

dignitatis est utilitatis) haud deseratur prorsus, sed in scientiarum partitionibus nonnullum saltem inveniat locum. Verumtamen hoc intelligimus fieri debere longe alio, quam quo tractari solet, modo. Exempli gratia nemo, qui de Multo et Pauco verba jecit, hoc egit ut causa reddatur cur alia in natura tam numerosa et ampla sint et esse possint, alia tam rara et modica; nam certe fieri non potest, ut in rerum natura tanta sit copia auri, quanta ferri; tanta rosae quanta graminis; tanta specificati quanta non-specificati. Similiter nemo, qui de Simili et Diverso disseruit, satis explicavit, cur quasi perpetuo inter species diversas interponantur „participia" quaedam quae sunt specie ambiguae; veluti muscus inter putredinem et plantam; pisces, qui haerent et loco non morentur, inter plantam et animal; sorices, et mures et alia nonnulla inter animalia ex putredine et ex semine prognata; vespertiliones inter aves et quadrupedes; pisces volantes (qui jam notissimi sunt) inter aves et, pisces, phocae inter pisces et quadrupedes; et alia hujus modi. Neque rursus causam indagavit quispiam, cur cum „similia similibus gaudeant" ferrum ferrum non trahat, quod magnes facit; neque aurum ipsum aurum, licet argentum vivum alliciat. Circa haec et similia in disceptatione de Transcendentibus illis altum est silentium; orationes enim apices, non rerum subtilitates secuti sunt homines. Quamobrem horum Transcendentium, sive conditionum Entium ad ventitiarum veram et solidam, secundum naturae, non sermonis leges, Philosophiam primam recipere volumus." Quem locum Baco respicit p 642 ubi transcendentium nomine significat haec: majus, minus, multum, paucum; prius, posterius; idem, diversum; potentia, actus; habitus, privatio; totum, partes; agens, patiens; motus, quies; ens, non-ens et similia. Jam quaerendum est, cur Baco illas notiones transcendentes appellet. Vidimus igitur proprie transcendentia appellata fuisse „ens, res, aliquid, unum, verum, bonum", ex quibus Baco tantum habet ens Apud Alstedium autem primum Metaphysicae librum transcendentibus destinatum esse supra monuimus, quo libro continentur haec: (Necesse est indicem capitum apponam) cap. I ens, II entis attributa nominalia et synonyma, III essentia. IV existentia, V duratio, VI unitas, VII veritas, VIII *bonitas, IX ordo, X numerus*, XI perfectio, XII pulchritudo XIII *actus et potentia, XIV* simplicitas et compositio, XV per se et per

accidens, XVI universalitas et singularitas, XVII totum et pars, XVIII prioritas, connexio et posterioritas, XIX infinitio, XX absolutio et respectus, XXI realitas et intentionalitas, XXII abstractio et concretio, XXIII mensura et mensuratum, XXIV subjectum et adjunctum, XXV signum et signatum, XXVI principium et principiatum, XXVII causa et causatum, XXVIII necessitas et continentia, XXIX identitas et diversitas. Haec igitur omnia Alstedius nomine transcendentium complectitur, quamquam singulis non semper nomen attribuit. Quam nominis propagationem sic fortasse explicatur, quod primum sex illae notiones illud nomen habuerunt, postea omnia quae de rebus, quatenus eis esse convenit, dici possunt, eodem nomine significarentur, ut tota metaphysicae materia transcendentalis appellari possit. Similiter atque Spinoza de transcendentibus judicat Baconis aequalis Thomas Hobbes, qui vol. I p. 31 dicit: „Voces autem hae verum, veritas, vera propositio, idem valent. Veritas enim in dicto, non in re consistit: nam etsi verum opponatur aliquando apparenti, vel ficto, id tamen ad veritatem propositionis referendum est: nam ideo simulachrum hominis in speculo, vel spectrum, negatur esse verus homo propterea, quod haec propositio: spectrum est homo, vera non est; nam ut spectrum non sit verum spectrum, negari non potest. Neque ergo veritas, rei affectio est, sed propositionis. Quod autem a metaphysicis dici solet ens, unum et verum idem sunt, nugatorium et puerile est; quis enim nescit hominem, et unum hominem et vere hominem idem sonare."

Maxime inter Britannos respiciendus est Boylius [36]), quippe qui utatur vocabulo transcendendi alio sensu atque scholastici neque omnino eorum transcendentia respexisse videatur. Extant enim in ejus operum vol. IV p. 54 „Advices in judging of things said to transcend reason", in quibus commentationibus eas res saepissime appellat simpliciter „transcendant subjects", ea re, quam transcendere dicuntur, non addita. Omnino autem adjectio „transcendens" res significat, quas facile perspicere non possumus. Unum

---

[36]) The works of the honourable Robert Boyle. London 1744. 5 voll.
De Boylii doctrina cf. F. A. Lange: Geschichte des Materialismus, ed. II p. 255 ff.

locum afferre liceat. In commentatione enim, cui inscripsit: The usefulness of Natural Philosophy (vol. V p. 451) exponit eos, qui atomorum doctrinam amplectantur nonnullas res explicare non posse „for some faculties and operations of the reasonable soul in man are of so peculiar and transcendant a kind, that I have not yet found them solidly explicated by corporeal principles, so I expect not to see them in haste made out by such“. Hoc loco vocabulum „transcendant“ significare „obscurum“ patet. [37])

Similiter atque inter Britannos Boylius inter Germanos eo termino utitur Leibnizius [38]), qui dicit scriptorum mathem. vol. I p. 228: „Caeterum placet hoc loco, ut magis profutura dicam fontem aperire Transcendentium Quantitatum [39]), cur nimirum quaedam problemata neque sint plana, neque solida, neque sursolida, aut ullius certi gradus, sed omnem aequationem Algebraicam transcendant“. Facile perspicitur hanc vocabuli usum haud ita multum a Kantiano abhorrere. Propius ad Kantianam rationem accedit ea, qua Lambertus [40]) vocabulum „transcendens“ usurpat atque hoc loco in memoriam revocanda sunt ea, quae p. 25 de singulari vocabuli usu, quem invenimus apud Altedium et Litomislenum, diximus. Ipsius Lamberti verba afferenda sunt. Postquam l. c. exposuit nos res corporeas cum ideis saepissime comparare utrasque uno eodemque nomine appellare, pergit hoc modo; „Da nun hierdurch die meisten Wörter der Sprache eine gedoppelte und zuweilen vielfache Bedeutung erhalten und in diesen Bedeutungen

---

[37]) cf. pag. 28, 33 et pag. 23, 27.

[38]) Leibnizen's mathemat. Schriften, herausgegeben von O. J. Gerhardt. Zweite Abtheilung: die mathemat. Abhandlungen Leibnizens enthaltend. cf. praeter p. 228 etiam p. 230.

Quem Leibnizi usum respicit Herderus, qui dicit in eo libro, quem inscripsit „Metakritik“: Transcendental. Aus der scholastischen Philosophie hatte die Mathematik das Wort genommen, um damit Gleichungen zu bezeichnen, die auf keine gewöhnliche algebraische Gleichung zurückgeführt werden können etc.

[39]) logarithmi et functiones trigonometricae.

[40]) J. H. Lambert: Neues Organon oder Gedanken über die Erforschung und Bezeichnung des Wahren und dessen Unterscheidung vom Irrthum und *Schein. 2 Bände,* Leipzig 1764. Band I, 1. Hauptstück, von den einfachen und *für sich denkbaren Begriffen. p. 482.*

dennoch etwas ähnliches und gemeinsames bleibt, so kann dieses ähnliche in vielen Fällen besonders genommen werden, weil es ein allgemeiner Begriff ist, den wir transcendent nennen können, insofern er in der Körperwelt und Intellektualwelt ähnliche Dinge, vorstellt. So z. E. ist der Begriff der Kraft transcendent, weil wir uns Erkenntniskräfte, Begehrungskräfte und bewegende Kräfte vorstellen. Wenn man dennoch solche transcendente Begriffe definirt, so muss man allerdings dabei nicht vergessen, dass sie noch besondere Bestimmungen erhalten, so oft sie in der Körperwelt oder auch in der Intellektualwelt angewandt werden. Die Definition wird dadurch specieller, und das Definitum, welches nunmehr auch zu einer besonderen Art wird, kommt nicht so häufig vor.“ Patet igitur notiones illas propterea transcendentes appellari, non quia quasi intercedant inter corporeas res et ideas, sed quia res corporeas, quae sensibus nostris observantur, transcendant. Qui vocabuli usus fere idem est atque Kantianus, id quod non miraberis si respexeris Kantium et Lambertum epistolarum consuetudine fuisse conjunctos. Cum igitur rem jam usque ad Kantium persecuti simus summam commentationis paucis colligere utile duco. Petenda igitur est vocabuli, quod primum apud discipulos Thomae Aquinatis occurrit, origo ex Platonis et Aristotelis doctrina, quod quidem ad rem attinet, vocabulum ipsum ad Neo-Platonicos redire videtur. Apud scholasticos ea illo verbo significari vidimus, quae categorias transcendunt. Quae doctrina cum a nonnullis viris impugnata fuisset vocabulum, quippe quod usitatissimum fuisset, aetatem tulit et a Britannis et Germanis liberius usurpari coeptum est, origine omnino neglecta. Kantium ipsum Leibnizii et Lamberti exemplo inductum hoc potissimum vocabulum elegisse verisimillimum est.

Typis B. E. Sipmanni.